



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ivs Ecclesiasticvm

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

Titulus XL. De Consecratione Ecclesiae vel Altaris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62668](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62668)

Ratio autem de Tridentino est partim; quia *cit.* ejus *cap. 3.* Loci nomine locus *Loci*, ut vocant, hoc est, Ecclesia vel Monasterium particulare intelligi sine incommodo potest: partim verò; quia consuetudo, tam generalis quàm particularis, vi cuius loca & personæ Ecclesiastica à Procurationibus Prælati visitanti exhibendis eximuntur, licet passim consuetudo nuncupetur, reipsa tamen vera præscriptio est; cum per eam jus Prælati tollatur, & ab onere ac præstatione ipsi debita immunitas subditis per quasi posses-

sionem tempore & modo legibus definitò continuatam acquiratur; neque motum interfit, an immunitas illa aduersus Prælatum à privato, v.g. à Monasterio vel alio loco certo, sive à tota Universitate vel communitate, v.g. à provincia, diocesi vel civitate acquiratur; quia illa respectu Prælati, cuius jus tollit, instar personæ aut loci privati consideratur, ut alius DD. allegatis rectè observat Card. de Luca *Tract. de Jurisdic. & Foro communi discursu 33. n. 28.* & dictum *cit. Tit. 4. num. 5.*



TITVLVS XL.

De Consecratione Ecclesiæ vel Altaris.

Ecclésiæ constructæ dotataque ultima perfectio & præcipuum ornamentum est Consecratio, quæ ea cum Altaribus dedicatur Deo, & Divino cultui peragendo ritu solenni deputatur.

ARTICVLVS I.

De Ecclesiæ & Altaris Consecratione.

SUMMARIUM.

1. Ecclesiæ varia acceptio.
2. Et propriè accepta differentia à Basilica.
3. Missæ celebranda sunt in sola Ecclesiâ consecrata:

4. Nisi urgeat casus necessitatis.
5. Extra eam aliquando licet celebrant Episcopi &c.
6. De eorum licentia etiam alii.
7. Et ex privilegio quidam Religiosorum.
8. Consecranda Ecclesiæ est à proprio.
9. Et ex istius commissione ab alio Episcopo.
10. Non etiam à simplici Sacerdote.
11. Et si huic rectè committatur Deo.
12. Differentia istius à Consecratione.
13. Peragenda hæc est die Dominica aut festiva & ritu solenni.
14. Pro Missæ celebratione etiam Altitaria.
15. Et, privilegio secluso, à solo Episcopo consecrantur.
16. Consecratio Ecclesiæ iterabilis non est.

17. Nisi in ea omissa debita forma,
18. Vel ejus Consecratio dubia sit,
19. Et nec semiplenè probari valeat,
20. In dubio non iteratur Consecratio Ecclesie Cathedralis:
21. Nisi ea aut alia Ecclesia fuerint execrata:
22. Quod duobus modis contingit.
23. Ecclesia, successivè readificata, consecrationem iterandam, asserentium,
24. Et negantium, verisimilior Opinio.
25. Etiam Altaris consecratio non iteratur:
26. Nonnullis casibus exceptis.

1. **E**cclésiæ nomine, si etymologiam, Convocatio populi: si receptum usum spectemus, venire solet aliquando Cæteris Fidelium in Christum credentium seu Catholicorum congregatio, *can. Ecclesia 7. dist. 1. de Consec.* aliquando ædes sacra, in qua Fideles ad rem Divinam audiendam & percipienda Sacramenta congregantur, *can. Nemo 8. can. Ecclesia 17. Et. dist. cit.*

2. *Rubr. & text. C. de SS. Eccles.* quò posteriori & in Rubricæ nostræ sensu acceptam Ecclesiam aliqui à Basilica distinguunt cum Glossa in *c. 1. V. Dedicanda*: & istò quidem sive Basilicæ nomine propriè acceptò ædem Episcopali Consecratione nondum affectam denotari, volunt, & desumunt ex *c. 1. cit.* verbis, *Ad Basilicam, que dedicanda est.*

Hanc tamen Basilicæ significationem & differentiam inter eam & Ecclesiam in Jure fundatam, alii meritò negant; quòd Ecclesiæ appellatio ædi ante consecrationem clarè tribuatur *can. Ecclesiam 26. & 27. dist. 1. cit. & c. Ecclesia 9. de Immunit. Eccles.* & nomine Basilicæ ædes jam consecrata; *can. 1. dist. 25. iteratò & can. Si quis 9. dist. 20. &*

promiscuè quæcunque Ecclesiæ vocentur, *can. Omnes Basilicæ 16. q. 7.* Imò tanquam synonyma pro eodem diserte accipiuntur, *can. Non oportet 4. ibi, In Ecclesia seu Basilicis, dist. 42. & c. fin. de Eccles. adif.* Nominis tamen etymon potius, quàm Juris usum spectantes alii, Basilicas eas duntaxat Ecclesias vocant, quæ à Regibus & summis Principibus, ut Patriarchales, Metropolitana & Cathedralis plerumque solent, fundatæ ac dotatæ: vel, in quibus illi Divina officia frequentare consueverunt, Barbosa *Juris Eccles. Lib. 2. cap. 1. n. 10.* & Fagnanus in *c. Ecclesia cit. n. 4.* Sed ista utrunque sint,

Ecclesia ritè constructa & dote etiam instructa, priusquam Divina mysteria in ea peragantur, consecranda est, *can. Sicut 10. can. Missarum 12. & can. Nullus 14. dist. 1. cit.* quibus textibus, extra Ecclesiam vel alium locum ab Episcopo consecratum vel saltem benedictum Missa celebrari, diserte prohibetur: à qua tamen prohibitione

Excipitur primò *can. Sicut cit.* casus Necessitatis, quæ maxima fuit primis Ecclesiæ seculis: quò tempore, sævientiibus Christiani nominis hostibus, sanctissimum Missæ sacrificium in ædibus privatis & ipsis carceribus offerri consuevisse, perhibet Baronius *ad Annos Christi 377. in fine & 404. n. 19.* & justa esse hodie censetur in locis, ubi nullæ vel dirutæ sunt Ecclesiæ, vel propter angustias excludunt multitudinem populi maximò numero confluentis, pro exercitu in bello, vel peregrinatione susceptà per loca infidelium: quibus casibus in prophano, sed decenti cubiculo sub papilione vel tentorio & aliquando sub dio, in Altari Portatili seu Viatico in terra firma Missarum celebrationem permissam, *can. Concedimus 29. dist. cit.* cum Navarro

Manual. cap. 25. n. 8. docet Azor p. 1. Instit. Lib. 10. cap. 26. q. 2. qui tamen, tali casu Episcopi licentiam, si potest, saltem ex decencia requirendam, monet.

5. Excipiuntur secundò Episcopi iisque superiores Archiepiscopi, Primates, Patriarchæ & S. R. E. Cardinales: qui, si iter faciant, super altari Viatico celebrare ipsi vel alteri celebranti assistere ubicunque; ac proinde etiam extra diocesin suam possunt ex privilegio, indulto à Bonifacio VIII. *c. fin. de Privileg. in 6. Fagnanus in c. Quod nonnullis 25. de Privileg. à n. 6. idque ex causa non solum infirmitatis aut alterius necessitatis, sed majoris etiam commoditatis vel devotionis, Suarez & Laiman. l. cit.*

6. Excipiuntur tertio etiam alii, qui extra Ecclesiam in domo vel Oratorio privato non consecrato vel benedicto celebrandi licentiam habent, juxta *can. Missarum cit. ibi, In locis ab Episcopo consecratis vel, ubi ipse permiserit, can. Hic ergo 13. ibi, Nisi in his locis, in quibus Episcopus jusserit, dist. 1. cit. & c. In iis 30. de Privileg. Quod antiqui Juris privilegium, licet à Trident. Sess. 22. Decreto de Observ. in celeb. Miss. revocatum, à Navarrus *cit. cap. 25. n. 81. Gutierrez 2^a Canon. Lib. 1. cap. 30. n. 25. & nonnulli alii velint, verius tamen est, id non revocatum, sed solummodo restrictum; ut hodie Episcopi non ordinariè, & non nisi ex necessitatis vel alia justa causa extra Ecclesiam vel Oratorium consecratum vel benedictum in loco tamen decenti semel aut etiam sæpius celebrandi licentiam dare possint, ut post *cit. Suarez §. Secundò & Laiman. n. 4. id usu confirmantes, advertit Barbosa de Offic. Episc. alleg. 23. n. 3.***

7. Excipiuntur quartò Ordines Mendicantes FF. Prædicatorum & Minorum

S. Francisci, ubicunque fuerint, in altari Viatico celebrandi privilegio muniti, *c. De iis cit. quibus tamen aliique indulta hujusmodi privilegia cit. Conciliaris decreti verbis, Non obstantibus privilegia, exemptionibus quibusvisque revocata, cum *cit. Navarro n. 81. Suarez §. Quarta, Laiman n. 5. & aliis multis censet *cit. Barbosa n. 4. ut iis uti jam non valeant, nisi post Concilium illud à Sede Apostolica confirmata, vel denotata indulta: sicut ea à Gregorio XIII. Societati JESU cum illius S. Synodi derogatione confirmata, ex Henriquez Lib. 9. cap. 27. §. 3. L. 1. & Fagnanica de Privileg. Eccl. p. 1. lib. 3. cap. 13. n. 17. prohibet *cit. Barbosa n. 4.****

Consecranda autem Ecclesia est à Episcopo, in cujus diocesi est sita, *can. Pia mentis 23. Ec. 16. q. 7. Et. Tit. 2. de Rubr. Ab alio, licet valide, licet tamen non nisi proprio Episcopo invitante aut permittente consecratur, *art. 1. cit. & can. Episcopus 7. q. 1. sine cuius expressa licentia, si Episcopus extraneus ejusmodi Ecclesiam consecrare præsumat, à celebratione Missarum per annum, *can. cit. & à Pontificalium exercitio ipso jure suspenditur, ex decreto Trident. Sess. 6. cap. 5. de Reformat. quò tamen S. Synodi decretò revocata non sunt privilegia FF. Minoribus ab Honorio IV. à Joanne XXII. Carmelitis & Societati JESU à Paulo III. concessa: vi quorum, Episcopo diocesano consecrationem humiliter postulatam ultra quatuor menses diffidente, pro ea ad quemcunque Episcopum recurrere possunt, Compend. Privileg. Societ. V. Benedicere §. 1. Miranda Annual. Pralat. Tom. 1. q. 38. art. 1. conclus. 3. Barbosa *cit. alleg. 27. n. 1. & Palao Tract. 22. disp. univ. p. 8. n. 2.****

An ea Ecclesie consecratio Secretò-
si simplici committi ab Episcopo valeat,
dubium

dubium reddit Concilium Agathense, relatum *can. Altaria 32. dist. 1. cit.* quod altaria, ac proinde etiam Ecclesie sacerdotali benedictione dicuntur sacrari. Sed hoc leve est; quia textu illo nomine Sacerdotalis non venit benedictio Presbyteri simplicis, sed Episcopi: qui etiam Sacerdos ejusque actio Sacerdotalis vocatur ab eodem Concilio *can. Episcopi 8. ibi, Si sacerdotali moderatione. 11. q. 3.* Quare constans & certa DD. sententia est, Ecclesie consecrationem simplici Sacerdoti committi ab Episcopo non posse; quod actus sit Ordinis Episcopalis, *can. Quamvis 4. dist. 68.* qui simplici sacerdoti delegari prohibetur, *c. Aqua 9. cujus textu contraria consuetudo tanquam abusiva & corruptela reprobatur, Azor p. 2. Insuper. Lib. 9. cap. 4. q. 1. cit.* Miranda *concl. 3. & Barbosa n. 1.* licet ea, quae Jurisdictionis sunt, ab Episcopis: & ea, quae Ordinis Episcopalis Jure solum Ecclesiastico sunt, ejusmodi sacerdoti committi valeant à Papa, Jure illo superiore, *c. Proposuit 4. V. Licet, de Consecr. Prab. Panormit. in c. Aqua cit. n. 2. & Gonzalez n. 5.*

11. Dixi, Consecratio; quia, Ecclesie benedictionem sacerdoti simplici committi ab Episcopo posse, facile concedo cum Palao *cit. p. 8. n. 1.* Ex privilegio etiam Apostolico, FF. Minoribus concessio, ab ejus Ordinis, & nostrae etiam Societatis Superioribus suas Ecclesias Altaria & Coemeteria ad suum usum benedici posse, patet ex *cit. Compend. V. Benedicere §. 1.*

12. Inter Benedictionem autem & Consecrationem ea praecipue differentia est; quod ista inhareat parietibus, sive istorum interiori crux, quae sacro oleo linuntur & appositis Crucibus signatur: illa autem sive benedictio inhareat solo sive pavimento, quod aspergitur aqua Lu-

strali, ut habetur in Pontificali Romano *Tit. de Benedict. & Consec. Eccles.* Quae etiam causa est, cur parietibus corruentibus, imò interitis solummodo de crustatis, Ecclesie Consecratio, *can. Ecclesis 19. dist. 1. cit.* non etiam benedictio amissa, & locus prophanatus censeatur, *l. Ede sacra 73. pr. ff. de Contrab. empt.* dummodo Ecclesie aedificium destructum non sit superioris auctoritate & sine spe reedificationis, *cit. Suarez f. 4. §. Sextus & Laiman. n. 15. junctò Sanchez Lib. 9. de Marr. dist. 15. n. 37.*

Peragi Ecclesiarum Consecratio debet ritu solenni, & solet diebus Dominicis ac festivis: licet de Jure quovis (non tamen Interdicti Ecclesiastici) tempore, & quavis etiam privata seu Feriali die possit, *c. Tua cit. & Pontific. Rom. l. cit.* dummodo offeratur sacrificium Missae, *can. Omnes 2. & can. De fabrica 27. dist. cit.* sive ab ipsomet Episcopo consecrante sive ab alio, dum ipse Consecrationis ritum explet, *Gonzalez in c. Tua cit. n. 2.*

Sicut in Ecclesiis, sic etiam in Altaribus, quae hodie, & jam à S. Sylvestri Papa tempore lapidea esse debent, *can. Altaria cit.* Divina Mysteria peragenda non sunt, priusquam sint consecrata, *can. Concedimus 29. dist. cit.* sive ea sint immobilia & Fixa, quorum mentio fit *can. Si morum 18. dist. cit. & c. 1. hanc Rubr.* sive mobilia seu Portatilia &, ut *c. fin. de Privileg.* nuncupantur, Viatica sint, *can. Concedimus cit.* Consecranda autem, perinde ut Ecclesie, etiam Altaria sunt ab Episcopo, *can. Nullus 24. dist. cit. can. Quamvis 4. dist. 68. c. Cum sit 5. hanc Rubr. & Pontif. Roman. cit. p. 2. Tit. de Altar. Consecrat.* adeo; ut eorum Consecratio; quod Ordinis Episcopalis actus sit, sacerdoti simplici committi non possit ab alio, quam à summo Pontifice, *cit. Suarez §. Terriò & Barbosa*

Barbosa *cit.*, alleg. 27. n. 23. cujus privilegio Societatis JESU Religiosi in remotissimis partibus, ubi nullus Episcopus est, degentes, & FF. Minores Altaria consecrandi facultatem habent, ut refertur *cit.* Compend. V. Ecclesia §. 1. eaque potestate Abbates Cistercienses omnes gaudere, testis est Palao *disp. unic. cit. p.*

16. 9. n. 3.

Porro Ecclesiarum, uti & Altaris Consecrationes iterabiles non esse, Regula instar à DD. tradi, & desumi tolet ex *can. Ecclesiarum cit.* quò relati Concilii Nicensi decretum est, *Ecclesiarum semel Deo consecratis non debet iterum consecratio adhiberi*: imò quoad effectum iterationis earum Consecratio parvulorum Baptismo, Sacramento nequaquam iterabili comparatur. Idem non obscure colligitur ex *can. De Fabrica cit. §. c. Lignis 6. hic*, quibus & aliis textibus Ecclesiarum & Altaria, de quorum Consecratione constat, quamdiu non constat, ea esse execrata, repetita consecratione Deo dedicari prohibentur, Glossa *in c. cit. V. Parietibus*, Sylvester V. *Consecratio 2. q. 4. Suarez l. cit. & cit. Barbosa n. 12.*

17.

Sed, ut alia pleraque, sic & hæc Regula suas patitur exceptiones vel potius declarationes, & iterationis, Jure non prohibita, casus: Primò quidem, si in Consecratione Ecclesiasticis Ordinationibus præscripta forma adhibita non sit, *can. Ecclesiarum 20. dist. cit.* cum enim aliquid non fieri, & non ritè fieri paria sint, *arg. l. Nam cum 2. ff. Ne quis cum, qui in jus*, & defectus formæ annullat actum, per text. *c. Cum dilecta 22. de Rescript. & tradita à Panormit. in c. cit. n. 6. & Tiraquell. in l. Si unquam 8. C. de Revoc. Donat. V. Revertatur n. 67.* ejusmodi Ecclesia consecrationis iterationi obnoxia erit, Glossa *fin. in can. cit. ubi Barbosa n. 1. & Archidiac. in can.*

Ecclesiarum 1. q. 4.

Secundò si, Ecclesiam (aut Altare) aliquando fuisse consecratam, ignoratur, vel de eo dubitetur, *can. Solemnitates 15. can. Ecclesia 19. dist. cit. & can. Placuit 109. dist. 4. de Consec.* cum enim paria cententur, non esse & non apparere, *arg. l. Cum in lege 77. ff. de Contrab. empt.* iterata non intelligitur Consecratio, quam omnino factam esse, ostenditur, *can. Cum itaque 119. dist. 4. cit. & can. Solemnitates cit.* Accedit; quòd Consecratio sit quid facti: facta autem in dubio non præsumatur, sed probanda sint, *arg. c. Cum in Jure 31. de Offi. deleg.* cujus Summa habet, *Delegatus non credi, nisi delegationem præstet.* Quare in dubio, Ecclesiam esse consecratam, non præsumitur: imò præsumitur, eam non esse consecratam, ut ab Episcopo omnino consecrandam, ut ab Episcopo omnino consecrandam adhibita conventiō gentiā, non apparet: neque etiam ex ipsis antiquis vel instrumentis Ecclesiarum de dignis, ex literis in marmoreis tabulis zrea vel columnā descriptis, ex crucibus formatis in parietibus, ex communibus estimatione & fama, ex testium depositionibus vel aliis indicis probatur, prætradita à Mascard. *de Probat. concl. 411. & concl. 683. à n. 1. & Barbosa cit. alleg. 27. à n. 5.* ubi tamen uterque advertebat, eam unius fide digni testimonio insufficienter probari; quòd non agatur de damno vel præjudicio tertii: quæ cum absunt, unius testimonio statuitur, ex doctrina ejusdem Mascard. *Præm. q. 14. n. 14. Farinac. Præm. Criminal. q. 87. n. 26.* ut dictum supra Lib. 2. Tit. 20. n. 71.

Excipi tamen passim solet Ecclesia Cathedralis, quæ, si structura jam peribita est, in dubio præsumitur consecrata; quòd ex una, hujusmodi Ecclesia cum præ-

cum perfectæ sunt, plerumque statim dedicentur; cum propter specialem earum prærogativam: tum verò propter Episcopi, ab ipsis non procul degentis, commoditatem honorémque; quia est spiritualis ipsius sponsa, quæ sine Consecrationis spirituali ornamento non facillè relinquitur: ex altera verò parte ea, quæ ordinariè & plerumque contingunt, facta in dubio præsumantur, ut latè Everard. *Legal. arg. Locò ab Usurariis n. 6.* Mascard. *cit. concl. 683. n. 2.* & Jordanus *Vol. 1. Lucubr. Lib. 5. Tit. 9. n. 47.*

21. Tertiò iteranda est Ecclesiæ consecratio, si execretur: quòd duobus modis, & imprimis quidem contingit, cum ea incendiò ita exuritur; ut parietum etiam non corruentium crusta interior majori ex parte tollatur vel abradatur, *22. can. Ecclesiis cit.* Parietum autem non collapsorum incrustatione interiori integrâ manente, novâ consecratione opus non est: quantumvis tectum & cætera materies lignea incendiò tota absumatur, *c. Lignis cit.* Cujus rationem reddit Glosa in *c. cit. V. Parietibus*; quia consecratio non inhæret tecto, sed superficiè & crustæ parietum: qui notantur Crucibus & sacro oleo deliniuntur, Jordanus, *cit. Tit. 9. n. 68.* ubi locis, in quibus factæ sunt Cruces & inunctiones, salvis consecratione opus non esse, monet ex Ugolino *de Offic. Episc. cap. 28. n. 4. V. Postremò.* Deinde, cum Ecclesiæ ædificium totum vel saltem parietes majorem partem corrunt ac destruantur; ut, licet maneat eadem materia, nova tamen extructione indigeat, *can. De fabrica cit.* quia Ecclesia, sive ex eadem sive ex diverfa materia de novo extruatur, nec physicè nec moraliter eadem manet, *arg. l. Inter stipulantem 81. §. 5. ff. de V. O. c. l. Quis 98. §. 8. ff. de Solutionibus, Panormit. in c. Proposisti 4, n. 8. Syl-*

vester *V. Consecratio 2. q. 4. cit. Azor cap. 4. q. 5. Barbosa n. 13. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 9.*

Neque obstat; quòd Ecclesia comparetur navi, *can. Ante omnia 7. dist. 40. & can. Non turbatur, 24. q. 1.* quæ animò reficiendi disjecta, si ex iisdem tabulis compingatur, eadem cenfetur, in eaque usufructus aliæque obligationes perseverant, *§. 5. & §. 8. cit.* quia, licet navi comparetur quoad gubernationem, quoad consecrationem tamen magis assimilatur domui, quæ affixa est solo, & quodocunque, etiam animò reficiendi destructa, de novo extruitur, diversa cenfetur à priori: cujus etiam obligationes extinguuntur, *l. Quid tamen 10. §. 7. V. Si autem ff. Quib. mod. Usufr. amitt.* Unde, Ecclesiâ semel destructâ, tollitur ei accessoria consecratio, etsi ex eadem materia restauretur, *cit. Panormit. n. 8. Barbosa n. 16. & Jordanus, n. 70.* Ubi

Dubium & dissensio inter DD. non modica est, an de novo consecranda sit Ecclesia, quando ejus parietes successivè reparantur ita; ut nunquâ major pars destruat. Quod Innocentius in *Rubric. n. 1. Panormit. cit. n. 8.* eosque secuti nonnulli alii affirmant, & suadetur gemina ratione. Prima est; quòd, sicut, cum semel destructa reedificatur, sic etiam hoc casu non sit eadem Ecclesia, quæ antea fuit, sed nova. Unde, cum in spiritualibus rei veritas potius quam Juris fictio attendatur, de novo consecranda erit instar alterius Ecclesiæ de novo extructæ. Altera; quòd, sicut omnes partes parietis, sic etiam his inhærens consecratio tota sit sublata; ac proinde Ecclesia execrata.

Sed rationes istæ, nova consecratione opus esse, non evincunt. Prima; quia ita reparata eadem Ecclesia est, non

M m m m

physicè, sed moraliter & quoad consecrationem: sicut legio, populus, grex moraliter eadem censentur, licet successivè primis decedentibus alii homines vel animalia succedant, *l. Proponebatur 76. ff. de Judiciis, & l. Grege 21. ff. de Legat. 1.* Altera; quia tali casu consecratio non est tota sublata; cum enim consecratio partis majoris præexistentis extendatur ad partem minorem de novo adjectam perinde fere, ut in prima consecratione à partibus inunctis extenditur ad alias non inunctas, etiam hæc redditur sacra; ac proinde hæc manente tota consecratio nunquam tollitur.

24. Quare melius, tali casu nova consecratione opus esse, cum Glossa in *c. Proposuisse cit. V. Reconciliari*, negant *citt. Sylvester q. 5. Azor q. 6. Suarez p. 3. disp. 81. s. 4. casu 6. & Laiman. Lib. 5. trakt. 5. cap. 5. n. 16.* Ratio est; quia hoc casu pars, quæ de novo advenit, minor est eâ, quæ præexistit, adeoque præexistenti consecrata accedens etiam ipsa censetur consecrata: sicut *c. Quod in dubiis 3.* oleum non consecratum affusum & commixtum consecrato; quia in iis, quæ per accessionem partium fiunt, magis dignum ad se trahit id, quod est minus dignum, secundum Glossam in *c. cit. V. Consecratum & in c. 1. V. Altare, in fine.* Ita ergo reparatæ Ecclesiæ ad summum adhibenda est reconciliatio per aspersionem aquæ benedictæ, ut ex DD. *citt.* aliqui volunt: quod tamen ipsum, etsi laudabiliter piéque fiat, Jure non reperio expressum.

25. Sicut Ecclesiæ, sic etiam Altaris consecratio iterari, licet regulariter prohibita, permessa tamen, imò necessariò repetenda est; cum in ea Ecclesiæ forma adhibita non fuit, *arg. can. Ecclesias cit.* vel, an aliquando consecratum fuerit, 26. ignoratur vel dubitatur, *c. Ecclesia 17.*

disp. 1. cit. & demum, cum enormiter læsum seu fractum est; ut in residuo & integra ejus parte commodè stare nequeat pes calicis cum sacra Hostia & patena, vel ejus sepulchrum sive locus Reliquiarum &, ut vocatur, lapidis Sigtillum tollitur, aperitur, frangitur, dimittitur: &, cum altaris fixa mensa seu lapis superior removeretur à basi seu strudura, cui ea est affixa, vel à columnis, quibus lapis iste seu mensa conjuncta seu firmiter est innixa, *can. Si motum 18. disp. 1. de Consec. c. Quod in dubiis 3. c. Ligneus 6. hic*, ut latè & aliis DD. relatis declarant Barbosa *citt. Alleg. 27. n. 25.* & Jordanus *Lib. 5. Tit. 10. n. 45.*

ARTICULUS II

De Ecclesiæ violatæ
Reconciliatone,

SUMMARIUM.

27. Ecclesia polluta reconcilianda ab Episcopo est:
28. Non à simplici Sacerdote:
29. Nisi ex delegatione vel privilegio Apostolico.
30. Solâ Missæ celebratione non reconciliatur.
31. Polluitur I. Sepultura Infidelis:
32. Non etiam infantia Fidelium non baptizati:
33. Etsi talis ad sacram sepulturam non sit admittendus.
34. II. Sepultura Excommunicati vitandâ.
35. III. Homicidîo, non merè casuali, Aut venialiter duraxat,
36. Sed mortaliter peccaminosò committente,
37. cunctis

- 38. Etiam ad mortem damnati, si- que ipsius.
- 39. Et quocumque modo perpetrato,
- 40. IV. Humani sanguinis effusione no- tabili,
- 41. Secuta ex voluntaria & graviter injuriosa percussione.
- 42. V. Humani seminis voluntaria & illicita effusione:
- 43. Si hac facta intra Ecclesia spatium interius,
- 44. Et notoria sit.
- 45. Aliis criminibus etiam gravioribus Ecclesia non polluitur.
- 46. Iisdem modis etiam Cimiteria:
- 47. Et, si Ecclesia adjuncta sint, cum his polluantur:
- 48. Et cum his fere reconciliantur.
- 49. Polluta Ecclesia, etiam Altaria pol- luantur.
- 50. Non tamen cum illa semper exe- crantur.

aut. lib. 9. cap. 5. q. 5. Ugo linus de Offic. Episc. cap. 29. §. 8. n. 1. & Barbosa de Offic. Episc. alleg. 28. n. 56. Papa ta- men eam sacerdoti, Ordinem Episcopalem non habenti committere potest: ut est communis sententia DD. cum enim Ec- clesie, sicut Consecratio, sic & Reconciliatio Ordinis Episcopalis actus sit Jure solum humano, quo Papa superior est, simplici sacerdoti committi ab ipso po- test: & à Leone X. eam concessam Mi- noribus, & Societatis JESU Superioribus communicari, in Compend. Privileg. Societ. V. Ecclesia §. 2. habetur.

Si Ecclesia, cum pollueretur, fuisset solummodo benedicta & nondum consecrata reconciliari per Sacerdotem simplicem aqua Lustralis aspersione posset, etiam mandato seu licentia Episco- pi non expectata, ut ex c. fin. verbis, *Aqua protinus exorcizata lavetur*, recte Gloſa fin. & aliis DD. relatis, advertit Barbosa in c. cit. n. 2. & cit. Alleg. 28. n. 57.

29.

27. **S**I Ecclesia, manente Consecratione, polluat se violetur, Divina mytheria peragi in ea non debent, antequam à proprio, vel de ejus licentia ab alio Episcopo reconciliata fue- rit per aquam, c. *Proposuiti* 4. & c. *Aqua* 9. quâ ab ipso cum sale cinere & vi- no benedictâ parietes, pavementum & specialiter loca contaminata asperguntur, adhibitis ceremoniis præscriptis in Pon- tific. Romano Tit. de Eccles. Reconciliat.

28. Dico, *Ab Episcopo*: non à simpli- ci Sacerdote; cum enim, sicut Consecratio, sic etiam Ecclesie polluta Reconciliatio actus sit Ordinis Episcopalis, sim- plici sacerdoti ab Episcopo committi etiam ipsa non potest, ex decisione Gregorii IX. relata c. *Aqua* cit. ubi à summo hoc Ecclesie Antistite contraria con- suetudo Corruptela nuncupatur, arg. c. *Quantò* 3. de Consuet. Azor p. 2. *Insi-*

Dubium & magni in praxi momen- ti controversia est, an Ecclesia polluta solâ Missæ celebratione reconcilietur. Quod oritur ex *can. De fabrica* cit. cu- jus textu Ecclesia consecrationem amissam recipere dicitur celebratione Missarum: quò præcipue moti Sæc. V. Ecclesia, n. 19. & Castro de Lege Penali Lib. 2. cap. ult. n. 9. Ecclesiam pollutam Missæ celebratione in ea peractâ reconciliari ar- bitrantur. Sed contra communem sen- sum DD. contrarium fere & merito sup- ponentium, cum; quia *can. cit.* non agitur de Ecclesie polluta reconciliatione, sed de reparatione: & quando novâ consecratione indigeat, declaratur: tum verò; quia pollutam reconciliandi mo- dus præscriptus est Jure, c. *Proposuiti* & *Aqua* cit. &c. quò Missam reconcilia- tionis locò esse, nusquam statuitur: &

M m m m a
si ejus

30.

si ejus celebratio istam induceret, simplici Sacerdoti committi reconciliatio ab Episcopo posset, contra claram decisionem *c. Aqua cit.* idque contingeret, quoties ex gravi causa, *vg.* ut infirmus sacerdos Viaticò muniri valeat, pro conficiendo Eucharistiæ Sacramento Parochus in Ecclesia polluta Missam celebraret: quod ipsum, aliâ Ecclesiâ in loco non existente, posse, cum S. Thoma *3. p. q. 83. art. 3. ad 2.* concedunt Ugolinus *cit. cap. 29. §. 7. n. 1. in fine* Jordan. *Lib. 5. Tit. 12. n. 147.* & Engel *ad hanc Rubr. §. 2. n. 16.*

31. Porro pollui Ecclesia in genere dicitur, cum, materiali ejus formâ integrâ manente, ac proinde consecratione, si istâ affecta fuit, non sublata, in ea accidit aliquid, quod à loci sanctitate maximè est alienum, & in fidelium animis generat horrorem; ut in illius detestationem Divina in ea celebrari Ecclesia vetuerit, donec sacris ritibus fuerit reconciliata, Suarez *in 3. p. disp. 81. sect. 4. §. Tertio*, & Jordan. *cit. Tit. 12. n. 2.* In specie autem

Polluitur primò Sepulturâ Infidelis, maris aut feminae, pueri vel adulti nondum baptizati, *can. Ecclesiam 26. & 27. disp. 1. cit.* Rationem reddit Glossa *ibi V. Celebrare*; quòd ab Ecclesiis repellantur Infideles vivi, *can. 1. in fine, disp. 21. & can. 1. V. Ad ostiarium, disp. 25.* ac proinde etiam mortui; cum, quibus non communicamus vivis, neque mortuis communicare debeamus, *can. 1. in fine, 21. q. 2. & c. A nobis 28. de Sent. extom.*

32. An etiam per sepulturam infantis parentum Fidelium, mortui sine Baptismo, dubium est: in quo Affirmativâ ex *can. Ecclesiam cit.* desumit Palao *Tract. 11. disp. Unic. p. & n. 1. in fine.* Verùm textuū *cit.* prior de Paganis loquitur expressè: posteriori autem nomine Infidelium i-

idem intelliguntur. Unde, utroque re- latorum Conciliorum Particularium, ge- nalia & odiosa decreta ab ipsis ad eju- modi infantes, sive in utero cum matre sive post natiuitatem sine Baptismo mor- tuos, minimè extendenda, cum Ugolinus *cit. cap. 29. §. 5.* censent Jordan. *cit. Tit. 12. n. 121.* & *cit.* Engel *n. 4.* Quorum benigniorem sensum etiam suadet ratio: de infante quidem in utero; quia quon- diu ex isto non editur in lucem, partu- coporis matris, *l. 1. §. 1. ff. de Ventre infus.* & istius, sicut viventis, sicut etiam mortui jure censetur; ut cum ea ad Ecclesiam ad- mittatur, *arg. c. Ex parte 11. de Sepul.* de nato autem, sed ante Baptismum mor- tuo; quia fidem Christianam, ut Paganus detestatus non est in se, neque in par- entibus: imò istorum voluntate ad Bap- tismum jam fuit destinatus.

Neque obstat, quòd ejusmodi in- fans Ecclesiam per Baptismum nonnulli sit ingressus, cum; quia eam ingressi etiam non sunt Catechumeni: quorum tamen sepulturâ Ecclesias non polluit, communis est sententia DD. tam veteri quia, licet propter Baptismi defectum in loco sacro sepeliri infantes illi nec debeant, inde tamen non sequitur eorum sepulturâ illum pollui; quia etiam, qui in peccato mortali notorie impeni- tentes decedunt, sacra sepultura interse- di non sunt, *can. Quicumque 13. q. 1. & tamen eorum sepulturâ Ecclesia vel co- miterium non polluit.*

Secundò Ecclesia polluitur sepul- turâ Fidelis excommunicati. *Constitutio 7.* qui textus, licet meminerit solums excom- munitati, ad Ecclesiam tamen etiam ab Intercep- tione, ad Ecclesiam non minor revo- catione inferatur excommunicati commu- nione. Ratio autem de utroque libe- statuendi fuit; quòd excommunicatus ex- clusus sit à communione fidelium inter-

sicut Paganus: & propterea, sicut hujus, sic etiam ipsius sepultura sacrilega & loco sacro graviter injuriosa reputetur, Panormit. in c. *Consulisti* cit. n. 4. Sylvester cit. q. 5. v. *Quartus*, Navarrus *Manual. cap. 27. n. 252.* Suarez cit. f. 4. s. *Quarta* & Barbosa *alleg. cit. n. 52.* Qui tamen aliqui DD. id hodie restringendum movent ad excommunicatos vitandos; quales post Concilium Constantiense & editam in eo à Martino V. Constitutionem, quæ incipit *Ad evitanda*, solummodo sunt notorii percussores clericorum, & ex aliis, qui publicè & nominatim sunt denunciati; cum enim post Concilium illud his solummodo communicare non liceat vivis, cum iis duntaxat mortuis communicare non licebit, juxta Regulam c. *Ex parte* & c. *A nobis* cit.

35. Tertiò homicidiò: non quòcunque, sed voluntariò & injuriosò, intra ipsam Ecclesiam perpetrato, can. *Si motum* 18. dist. 1. cit. & c. *Proposisti* q. hac Rubr. ubi Interpp. & passim ceteri DD. Unde

Inferitur primò, Ecclesiam non pollui occisione hominis, factà casu omnino fortuitò, v.g. à trabe, lapide, incrustatura decidente, vel à tauro aliòve animali in Ecclesiam irruente, Panormit. in c. cit. n. 2. & Ugolin. cit. cap. 29. §. 1. n. 1. Neque etiam factà à furioso, infante, dormiente, aut ab alio rationis usum non habente, arg. *Clement. Si furiosus, de Homicid.* imò etiam ab ebrio: nisi isti ebrietas usum rationis non ademisset, aut se agendum in furem aliis periculosum prævidisset, arg. *Clement. cit.* quia ab eò perpetratum homicidium voluntarium non est, & excessus, quem commisit, solius ebrietatis, non etiam homicidii est crimen, arg. can. *Inebriaverunt*, 15. q. 2.

36. cit. Barbosa n. 5. & Jordan. n. 35. Neque etiam secutà ex actione illicita, quæ tamen ex se non periculosa & ob alià cau-

sam, quàm ob homicidii periculù prohibita fuit, arg. can. cit. quia etiam tale homicidium voluntarium & quò tale injuriosum non fuit. Neque etiam factà ob sui defensionem, si inculparè tutelæ moderamen observatum & interemptus est aggressor, partim; quia etiam voluntaria non censetur; cum ab occidente per se & directè intenta fuerit defensio sui, non cædes aggressoris; partim verò; quia non est injuriosa; cum occidens suò jure sit usus, l. *Ut vim* 3. ff. de J. & J. quod faciens injuriam nemini facit, c. *Cum Ecclesia* 3. de Elect. & l. *Proculus* 26. ff. de Damno infecto, Panormit. cit. n. 2. cit. Barbosa n. 16. & Jordan. n. 35. Aliud esset, si seipsum defendens ejusmodi moderamen excederet, & vim atque injuriam sibi illatam ulturus occideret aggressorem jam exarmatum aut fugientem; hujusmodi enim cæde Ecclesiam pollui, ut reconciliatone indigeat, cum Sylvestro cit. q. 5. probè advertit cit. Jordan. n. 38.

Inferitur secundo, Ecclesiam pollui Primò, homicidiò in ea commissò sine ulla sanguinis effusione, v.g. suffocatione, vel percussione, mortem inferente sine vulnere, can. *Si motum* & c. *Proposisti* cit. id statuentibus generaliter & indistinctè, Glossa in c. *Unio. V. Sanguinis* in 6. Panormit. cit. n. 2. Ugolin. cit. §. & n. 1. & Jordan. n. 7. Secundo, occisione rei

37. innocenti, ad mortem condemnati per sententiam; quia, licet hæc justa, ejus tamen executio injuriosa est loco sacro & ipsi Deo, cujus supremæ Majestati Ecclesia est dedicata, cit. Barbosa n. 25. & Jordan. n. 10, qui tamen rectè eam pollui negat prolatione sententiæ mortis, si hæc extra Ecclesiam inferatur; quòd, etsi ejusmodi sententia nulla & loco sacro injuriosa sit, c. *Decet* 2. pr. v. *Cessent, de Immunit. Eccles. in 6.* prolatione tamen illà Ecclesiam pollui, nullò Jure sit expressum.

M m m m m ;

sum. Tertio, cæde alicujus Pagani, Hæretici, excommunicati vel interdicti; imò etiam alicujus sancti Martyris in odium Fidei occisi, propter *can. & c. Proposuisse citr.* generalitatem; licet enim istius passio & mors sit pretiosa in conspectu Dei, ejusque sanguine Ecclesia sanctificari videatur, persecutoris tamen actio non solum passio ipsique loco sacro est injuriola, sed truculentia & enormitate suâ superat quamcumque etiam immanissimam cædem in ista perpetratam, Sylvester, *V. Consecratio 2. q. 5. casu 1. citr. Azor cap. 5. q. 1. Barbosa n. 2. & Jordan, n. 8.* Quarto Suicidiò, sive morte hominis, qui, cum rationis usu non destitueretur, ex ira, desperatione, rædio vitæ violentas manus ipse sibi intulit, Joan. Andr. *in c. Unic. cit. n. 3.* Sylvester *cit. casu 1. & Jordan, n. 13.*

39. Quintò homicidiò alicujus in Ecclesia existentis, lapidisjactu, eiaculatione sagittæ, sclopi explosione perpetrato ab eo, qui extra eam existeret; cum enim voluntarium sit & injuriolum, de eo *can. & c. citr.* generalis dispositio procedit, Navarrus *Manual. cap. 27. n. 256. & cit. Jordan, n. 16.*

40. Quarto, Vulnere in ea cum humani sanguinis effusione inflicto, *can. Ecclesia 17. dist. 1. cit. c. Proposuisse cit. c. sin. hâc Rubr. & c. Unic. in 6.* quò tamen ut Ecclesiæ pollutio inducatur, Interpp. & DD. passim exigunt; ut ejusmodi vulneratio voluntaria & injuriola sit, eaque sanguinis non aliquot tantùm guttæ, sed notabilis quantitas effundatur; quia dictio *Effusio*, quâ *citr.* textus utuntur, denotat sanguinis abundantiam & copiosum fluxum, *arg. can. Sape 6. dist. 41. & can. Revertimini 67. in fine, 16. q. 1. Glossa in c. Cum illorum 32. V. Effusionem, de Sent. ex com. Panormit. in c. Proposuisse cit. n. 3. Sylvester cit. q. 5. casu 2. Navarr. cit. n. 256. & Barbosa cit. alleg. 27. n. 34. Unde*

Infertur, Ecclesiam non polleat sanguinis effusione etiam voluntaria & magna illius copia secuta ex percussione, eò, aut serio quidem facta, sed levius cujus exemplum non infrequens offertur, pueri, in rixa subito exorta in faciem se mutuo percutientes; ut sanguinis copia satis magna ex naribus effundatur, cum enim sanguis ex naribus facile & levitiam percussione eliciatur, in pueris ejusmodi percussio non præsumitur esse graviter peccaminosa; ut proinde Ecclesiæ pollutio, in actu, quò inducitur, mortalem culpam exigens, ex puerili ejusmodi percussione non facile sequatur. Suarez *in 3. p. disp. 8. l. 1. q. 4. Secundo, Dian. p. 6. Tract. 6. resol. 14. & cit. Barbosa n. 36.* rectè monens, si alapa ab eo qui quatuordecim annis major est, ex gravitate & violenter impactâ sanguinis copia notabilis ex naribus effundatur, Ecclesiam etiam polleat, & reconciliandam. Neque idolum, si ex hujusmodi percussione sanguis decideret in ipsius pavimentum: sed etiam, si vasculò aliquò exciperetur, aut percussus aut vulneratus eum profundaret extra Ecclesiam, Glossa *in c. Unic. cit. V. Sanguinis, citr. Sylvester Casu 2. Azor q. 1. §. Secundo & Ugolin. cap. 25. §. 2.* quia actio effusionis & inductiva pollutionis tota posita & consummata est in Ecclesia; ac proinde ista tanquam pollutio indiget reconciliatione: sicut contra istud opus non haberet Ecclesia, si ex violenta ejusmodi percussione aut vulnere extra Ecclesiam inflicto sanguis aut etiam mors accideret in Ecclesia, in quam vulneratus se recepisset, *citr. Panormit. n. 4. Jordan, n. 19. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 11.*

Quintò Fornicatione aliave illicitâ copula carnali, & quacumque voluntaria humani seminis effusione intra Ecclesiam factâ, *can. Ecclesia cit. 6. Significasti 5. de Adult.*

Ault. & c. Unici cit. pr. Dico impi-
mis, *Effusione*, hoc est, seminis emissione
sive corporis pollutione completâ, & non
solum inchoatâ sive modicâ illius destil-
latione, *cit. Jordan. n. 109.* Deinde, *Vol-*
untariâ; quia etiam completâ seminis
effusione Ecclesia non polluitur, si ea fiat
in somno, licet præcedat culpa & dele-
ctatio subsequatur: neque etiam, si mari
aut foeminae vigilantî præter intentionem
accidat ex infirmitate, *cit. Ugolin. §. 3.*
& *Jordan. à n. 105.* Demum, *Illicitâ*,
qualis etiam est, quæ sequitur ex actu
conjugali extra casum necessitatis, v. g. quò
conjuges in Ecclesia diu inclusi ad incon-
tinentiæ periculum vitandum debitum
sibi multò redderent; quia extra hunc
casum sine gravi injuria & irreverentia
loci sacri actus conjugalis non exercetur,
cit. Sylvest. q. 5. Azor q. 1. §. Dubia
Barbosa n. 45. & Jordan. n. 113.

43. Porro, ut hujusmodi homicidiò &
sanguinis vel seminis humani effusione
Ecclesia polluat, DD. satis conspiranti-
bus calculis exigunt; ut fiat intra inte-
rius corpus Ecclesie consecratæ vel bene-
dictæ, sive intra spatium, quod inter pa-
vimentum & fornicem seu tabulatum,
inter Aram summam & hanc fere respici-
entem portam majorem & parietem in-
tercedit, & cum navi, ut vocamus, una vel
pluribus chorum & capellas, proprio mu-
ro à reliquo Ecclesie corpore non sejun-
ctas, loca Musicis & fidelium divina au-
dientium stationibus, uti etiam sepulturæ
destinata comprehendit, *Sanchez Lib. 9.*
de Matr. disp. 15. n. 25. cit. Barbosa n. 22.
& cæteris accuratius *Jordan. à n. 72.* Qua-
re Ecclesia non polluitur ejusmodi actu
aliquò supra ipsius tectum seu fornicem,
in turri seu campanili aut etiam sacristia;
in cameris seu cubiculis ad Ecclesiarum
custodiam, & cryptis subterraneis ad alios
usus, quam ad Divina mysteria peragenda

aut fidelium sepulturam deputatis: in
Ecclesie aditu extra januam: in aditis &
extra ipsius Ecclesie murum pro statione
vel deambulatione extructis porticibus
vel atrii commissò, ut cum *Glossa V.*
Sanguinis cit. Anchorano in c. Unici. cit. n. 2.
Sylvestro cit. q. 5. docent cit. Sanchez
à n. 26. Jordan. à n. 78. Ratio est; quia
Ecclesie nomen, cum agitur de ejus pol-
lutione, quæ poenalis & odiosa est, accipi
debet strictè, *arg. Reg. Odia 15. in 6.*

Neque obstat; quòd hujusmodi loca
gaudeant Ecclesie immunitate; ut rei iis
receptià Justitiæ ministris extrahi non pos-
sint, *l. Pateant 3. C. de His, qui confug. ad*
Eccles. can. Si quis contumax 16. ibi. De
atrio vel de porticibus Ecclesie & can. Id
constituimus 29. ibi. Ab Ecclesia atrio
vel domo, 16. q. 4. quia immunitas illa
Ecclesie specialis favor & privilegium est;
cum ad augendum ipsius honorem & re-
verentiam sit introductum; ideòque,
cum de eo agitur, Ecclesie nomen non,
ut in casibus nobis propositæ & odiosæ
pollutionis, sed latè sit accipiendum, ut
probè advertunt & *arg. Reg. cit. docent*
Thomas Del bene de Immunit. cap. 16.
dub. 9. §. 4. n. 6. & Alex Sperellus Decis.
63. n. 10.

Præterea, ut ejusmodi cæde vel effu- 44.
sione sanguinis vel seminis Ecclesia pol-
luta reputetur: & donec reconcilietur,
Divinorum celebratio in ea intermitten-
da sit, communis DD. sententia exigit;
ut ejusmodi actus sit publicus & notorius,
vel per evidentiam facti, vel per condem-
nationem rei crimen confessi, aut de eo
convicti in judicio, vel etiam per legiti-
mam criminis in isto probationem, *arg.*
c. Significasti cit. Rationem reddit Pa-
lao Tract. 11. disp. unic. p. 1. n. 2. quòd,
cum Ecclesie Consecratio & Benedictio
publica sit, non nisi publicò & notoriò
actu debeat tolli. Quamdiu ergo in Ec-
clesia

eclesia patrata cædes vg. omnino occulta est, & ab uno vel pluribus (non tamen tantò numero, ut multitudinem constituent) personis ei præsentibus non publicatur, Ecclesia pro polluta non habetur; ut egeat reconciliatione, Navarrus *cit. cap. 27. n. 25. cit. Suarez. f. 4. §. Secundò, & Barbosa n. 37.*

45. Dubium moveri solet, an solâ cæde vel sanguinis aut feminis effusione, vel aliis etiam criminibus in Ecclesia commissis, ejus pollutio inducatur. Hanc etiam aliis æquè aut magis enormibus induci, cum Hostiensis in *Summa n. 9.* existimat Piascius *Prax. Episc. p. 1. cap. 5. n. 5.* pro sua hac sententia loco Juris scripti allegans consuetudinem: de qua tamen Romæ aut alibi vigente nihil scit Jordanus; ideòque, licet eam, sicubi viget, non damnet, Jure tamen spectatò, Ecclesiam aliis quantumcunque atrocibus criminibus pollui, negat cum Sanchez *cit. disp. 15. n. 4.* cum; quòd de his id nupiam sit expressum: & textuum de cæde & dicta effusione id statuentium, dispositio tanquam odiosa extensionem non admittat, *arg. Reg. Odià cit.* tum verò; quòd humani sanguinis aut feminis effusione contaminati à sacrificiis præ aliis excludantur à sacris paginis & Jure Ecclesiastico: ex cujus dispositione irregularitas specialiter contrahitur homicidiò & mutilatione, *s. Ad audientiam 12. Ec. de Homicid. & à celebratione vel sacra communione magis ob effusionem feminis, quàm ob aliam etiam graviora crimina est abstinendum, can. 1. disp. 6.*

46. Iisdem modis, quibus Ecclesiæ, etiam Cœmeteria polluuntur: imò ista, sicut cum Ecclesiis & eòdem, quòd istæ ritu (seorsim tamen) à proprio Episcopo consecrantur: sic quando Ecclesiis sunt contigua, cum ipsis, imò eadem actione, polluuntur; ut ante reconciliationem defun-

ctorum corpora iis non sint interfecta, *Unic. pr. in 6.* licet non vicissim, pollutio illis, etiam Ecclesiæ polluta cœlestat, *e. cit. 7. Non sic;* quia cœmeteria contigua Ecclesiis his accessoria sunt; ac proinde istarum tanquam principalium locorum (non etiam hæ ipsorum) conditionem sequuntur, *arg. Reg. Accessorium ad in 6.* Casu tamen, quò cœmeteria pollutum est per violationem Ecclesiæ, præ istius reconciliationem etiam ipsam reconciliatur, ut cum Ugolin. *cit. cap. 23. §. 8. n. 4.* & aliis tradit Barbosa *Jura Eccles. Lib. 2. cap. 9. n. 11.* Quando verò cœmeterium ab Ecclesia remotum aut junctum est, iisdem, quibus ista criminosa & non nisi à proprio vel, illo committente aut consentiente, ab alio Episcopo reconciliandum est, *s. Confessio 7. n. 11.* fuisse solummodo benedictum; hoc enim casu solius aquæ Lustralis aquæ dispositione reconciliari à simplici sacerdote potest, *arg. c. fm. Ugolin. & Barbosa ad in 6. & Pirrhing ad banc Rubr. n. 31.*

Supereft dubium, an Ecclesiæ pollutio etiam afficiat Altaria, Ratio dubitandi oritur à paritate Executionis, quæ si Ecclesiæ accidat, ad illa non extenditur. Cur non idem sit de Pollutione? Sed cum ista aliter res se habet; quia pollutio in quocunque interioris Ecclesiæ corporis loco facta indivisibiliter totum ejus corpus in eoque contenta, ac proinde etiam Altaria intra id sita afficit; quia pollutionis Ecclesiæ præcipuus effectus est cessatio à sacrificio Missæ, *arg. c. In qua de Sent. excom. in 6. adeò; ut, si pollutio inchoata sit, ab altari recedere debeat: nisi ipsa consecratio jam inchoata; ac proinde ad Sacrificii integritatem Missa perficienda esset, *cit. Ugolinus §. 7. n. 3. & Barbosa ad in 6. Wade, cum sacrificio Missæ in 100.**

in solo altari peragatur, Ecclesie pollutionem ad ipsius Altaria porrigi, est necesse. Alia ratio est Execrationis, quae principaliter afficit solos parietes aut altare; ideoque, sicut Altaris mensa seu lapis superior ab inferiori seu basi removeri, confringi, diminui; ac proinde ejus consecratio tolli potest, Ecclesia illasâ: sic vicissim istius parietum crusta & cum ista Ecclesiae consecratio, Altari illasô,

tollî; & propterea Ecclesia sine Altaribus & hæc sine illa execrari valent. Cujus ulterior ratio est; quia Altare non est quid accessorium ad Ecclesiam: sed aliquid non solum ab ista distinctum, sed principale; cum in eo offeratur incruentum Sacrificium, ad quod Ecclesia cum suis ornamentis ordinatur, ut rectè advertunt Sotus in 4. dist. 13. art. 3. & Barbosa in c. 1. ad hanc Rubr. n. 4.



TITULUS XLI.

De Celebratione Missarum, Sacramento Eucharistiae & aliis Officiis Divinis.

Ecclēsiæ & Altaria per Consecrationem deputantur ad Celebrationem Missæ, seu consecrationem sanctissimi Eucharistiae Sacramenti, ceteraque Officia Divina; quorum succinctæ explicationi ansam præsentî Rubricæ subjecti textus præbent.

ARTICULUS I.

De sanctissimo Missæ Sacrificio.

SUMMARIUM.

1. Missa est incruentum Sacrificium:
2. Et in hoc Deo oblata hostia, Eucharistia.
3. Materia hujus Sacramenti sunt Panis triticeus;
4. Et vinum de vite;
5. Cui modicum aquæ;
6. Ex Ecclesiastico, non Divino præcepto admiscetur,
7. Ad significandum sanguinem & aquam, ex Christi latere profluentem.
8. Forma sunt verba, Hoc est Corpus meum,
9. Et, Hic est calix Sanguinis mei.
10. Minister est solus Sacerdos:
11. Non laicus aut alius clericus, etiam Diaconus:
12. Etsi ab isto aliquando Eucharistiâ refici laicus possit.
13. Eucharistia sumenda est præparatione maximâ,
14. Et à jejunio;
15. Ut cibi potusque sumptio etiam minima excludatur:
16. Tribus casibus exceptis.
17. In mortis articulo constitutus eâ refici sepius potest.
18. Etiam eadem infirmitate durante.

N o o o o

19. Sacri